

157

DEO BENEDICENTE  
RECTORE ACADEMIÆ SALANÆ MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
D O M I N O  
**WILHELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIÆ IVLIACI CLIVIÆ MONTIVM  
ANGARIÆ WESTPHALIÆ ET RELIQA  
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM MEDICAM

DE  
**NATVRA SO-  
LERTE SANITATIS  
CONSERVATRICE,**

PRÆSIDE  
**JO. HADRIANO SLEVOGTIO**  
HEREDITARIO in Ober-Rosla/  
M. D. ANAT. CHIR. ET BOT. P. P. ITEMQVE MED. DVC PROV.

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES INSIGNIA AC PRIVI-  
LEGIA DOCTORALIA MORE MAIORVM RITE OBTINENDI

*Publico Philiatorum examini submittit*  
**JO. FRIDERICVS HOFFMANNVS**  
Gerabronna Onoldinus.

Ad D SEPTEMBR. M DCC XV.  
**IN AUDITORIO MEDICO**  
Horis ante- & pomeridianis.

---

IENÆ LITERIS KREBSIANIS.

thol. gen.  
18, 26

*Sp. theop. 72. 64*

RECTORIUS  
SACRAE THEOLOGICAE FACULTATIS  
UNIVERSITATIS  
MAGISTRO  
LEONARDO  
COMPTONIANO  
JOHANNES  
M. D. ANNI  
LIONARDUS  
LIGIA DOCTOR  
JOHANNES  
LIGIA DOCTOR  
LIGIA DOCTOR  
LIGIA DOCTOR  
LIGIA DOCTOR

*A Son Altesse Serenissime*

**MONSEIGNEVR**

**GVILLAVME**

**FREDERIC**

**MARGGRAF DE BRANDE-**

**BOVRG, DVC DE PRVSSE, DE MAGDEBOVRG,  
DE STETIN, DE POMERANIE, DE CASSVBIENS  
ET DES VANDALES, DE MECKLENBOVRG ET  
EN SILESIE, DES CROSSIENS: BOVRGRAF DE  
NVRNBERG, PRINCE DE HALBERSTADT, DE  
MIMDE, DE CAMIN, DES VANDALES, DE SCHVE-  
RIN, ET DE RATZEBOVRG, COMTE DE HO-  
HENZOLLEVR ET DE SCHVERIN, SEIGNEVR DE  
ROSTOCK, ET DE STARGARD &c. &c. &c.**

**MON TRES CLEMENT  
SEIGNEVR.**



# MONSEIGNEUR



*'A été depuis lon tems  
la coutume parmi les  
Savans, d'offrir & de  
sacrifier à leurs Sou-  
verains, les ouvrages,  
qui donnoient au public, & cela  
pour*


pour témoigner les obligations & la  
 juste reconnoissance qu'ils avoient  
 des bienfaits & des graces, dont  
 ils se trouvoient comblés dès leur jeu-  
 nesse. Penetré des mêmes senti-  
 mens, permettez, SERENISSIME PRIN-  
 CE, que j'ose aussi me servir de cete  
 louable coutume, en VOUS presentant  
 ce petit essai academique, quoiqu'in-  
 digne d'être étalé à un SEIGNEUR  
 si éclairé. Cependant le bonheur, que  
 j'ai d'être né VOTRE sujet, & de vivre  
 actuellement sous VOTRE haute pro-  
 tection, me fait espérer, que V. A.  
 S. recevra d'un oeil gracieux ce pe-  
 tit ouvrage, qui n'a à la verité pour  
 but, que de L'assurer d'une sensible

A 3

recon-

reconnoissance, pourtant de faueurs,  
 dont V. A. S. m'a gratifié tant au  
 Cloitre d' Heilsbron, qu' aux Aca-  
 demies, ou je resens encore actuelle-  
 ment les effets de Sa clemence. F'a-  
 voue qu' on s'etonnera, que je vienne  
 dédier si peu de chose à V. A. S. pour  
 remerciement d'une infinité de bien-  
 faits. Mais les Grands, ne de-  
 mandants de leurs Sujets pour tou-  
 te reconnoissance, que la fidelité &  
 l'obeissance, j'espere, que si peu que  
 soit, ce que je viens consacrer à V. A.  
 S. aura l'avantage d'être receu d'  
 un accueil favorable, & me fera trou-  
 ver peut être un azile dans SES E-  
 tats, ce que je reputerai pour le plus  
 grand

grand bonheur, qui puisse un jour  
 m'arriver, je veus dire de vivre sous  
 la protection d'un PRINCE, à qui DI-  
 EV a donné une ame si juste & si é-  
 pureeé, pour servir de modele à ses  
 sujets, qui, à l'envi l'un de l'autre,  
 s'empresent avec ardeur à LUY don-  
 ner des marques de leur fidelité &  
 de leur obeissance. Le TOVT PVIS-  
 SANT VOUS fasse jouir, MONSEIGNE-  
 VR, de même que toute la SERENISSI-  
 ME MAISON, pendant le cours de Vos  
 nobles vies, de ses graces les plus  
 reservées, il VOUS accorde une vie  
 douce & tranquille, accompagnée  
 d'un comble de prosperiteés dans  
 Vos hauts desseins, pour le conten-  
 tement



*tement de VOTRE SERENISSIME FAMIL-  
LE, & pour le repos & l'augmenta-  
tion de Vos etats, & c'est ce que  
souhaite avec zele & profond respect  
celui, qui sera toute sa vie*

**MONSEIGNEUR**

*de*

**VOTRE ALTESSE SE-  
RENISSIME**

*le tres humble, tres obéissant & tres sou-  
mis serviteur & sujet*

**JEAN FREDERIC HOFFMANN.**





DE  
**NATURA SOLERTE SANITATI  
CONSERVATRICE.**

I.



Quantum Naturæ in curandis morbis  
efficaciæ datum sit, jam pridem ve-  
teres Medici notarunt, eamque, ob  
id ipsum, multis & splendidis exor-  
narunt encomiis; *prudentissimam,*  
*appellitando matrem, ac optimam*  
*morborem curatricem.* Ita enim a-  
pud magnum nostrum Hippocratem,  
VI Epidem. scriptum inuenio: *Natura morborum Medici,*  
& alibi idem grauissimus autor *Ars medica,* inquit, lib.  
de diat. *ab eo quod molestum est, liberat, & id, ex quo*  
*quis egrotat, auferendo, sanitatem reddit; idem & Natura*  
*per se facere novit.* Eadem de Naturæ in medendo effectu  
medico reliqui, quos prisca tulit ætas, artis medicæ Pro-  
ceres literarum monumentis consignata, posteritati reli-  
querunt. Hoc ipsum quoque quotidiana comprobatur ex-  
peri

B

peri

perientia; qua constat, plurimos, grauissimis decumbentes morbis, sine omni Medici auxilio, *SOLIVS NATURÆ OPERA* eisdem feliciter defungi, quando nimirum hæc, suarum robore virium, ad debellandam morbi materiam strenue insurgit, eamque subactam, per consueta corporis excernicula, e consortio humorum vitalium extrudit. Longe vero aliter evenire videas, ubi Natura necessariis orbata viribus, & morbi ingruentis sævitia ac magnitudine fere oppressa, celerem Medici opem efflagitat. Natura & Medicus tunc mutuam in medendo sibi præstant operam, hic Naturæ, illa Medici gaudet subsidio. Medicus, Naturæ minister, laboranti & vacillanti mature succurrit; hæc Medicum, quantum potest, adjuvat & remediorum vires intendit. Quæ cum animaduertissent Medicorum Filii, sedulo Naturæ in curando effectum pensitandum esse duxerunt, ut Naturæ molienti in tempore subvenirent, recte agentem confirmarent, cunctantem instigarent & errantem in viam ducerent. Secus ubi evenit, frustranea, nec raro exitiosa est omnis Medici opera; quemadmodum quotidiana docemur experientia, & rectissime annotavit Cœlius, lib. de Leg. *imprimis*, scribens, *Natura opus est. Natura enim repugnante irrita sunt omnia.*

## I I.

**N**ON autem in curandis solum & profligandis morbis Naturæ faultricis auxilium & constantem experimus operam, sed in custodiendo quoque corpore ab iisdem, & integra servanda sanitate, diligentissimam & solertissimam videmus miramurque. Illa enim, ut Hippocratis verbis, quæ libro de Arte extant, utar, *ipsa sibi per se,*

non

non ex consilio, motiones ad actiones obeundas invenit, a nullo edocta, citraque disciplinam ea, quæ conveniunt, efficit. Adeo enim egregie humana natura comparata est, ut, sibi ipsi consulens, morbis, quibus impeditur, non solum sedulo medeatur, sed contra futuros etiam sanitatem factam tectamque muniat.

## III.

Cum vero nil frequentius in scriptis Medicorum vocabulo Naturæ occurrat, deque eiusdem operationibus multa passim ab eruditis prædicentur, mirari subit animum, adeo multas & discrepantes de illa etiamnum reperiri notiones, quarum plurimæ rem magis obscurant, quam illustrent. Nullibi magis fluctuant cum veteres tum recentiores Medici ac Physici, quam ubi, quid sub Naturæ nomine intelligant, profiteri debent. Multi ex veterum Medicorum familia Naturam vocant spiritum nobis insitum, seu Calidum innatum; alii animam sensitivam; Aristoteles materiam stellarum analogam elemento; recentiores archeum, flammulam vitalem, materiam subtilissimam, suis potentiis instructam, celeb. Valentini in Med. nov. antiq. habitum corporis & vires, alii aliter appellarunt.

## IV.

Rectius de Natura eiusque actionibus se statuisse putant illi, qui, missis obscuris ambiguisque vocabulis, voci Naturæ mechanismum cum illustri Anglo, Rob. Boyle, Disquisit. de Natura, s. 4, substituunt, arbitantes, propriam eius notionem, nil nisi concinnam, illam & artifi-

ciosissimam corporis nostri structuram atque fabricam denotare, a qua eleganti omnium partium constructione & dispositione omnes ac singulæ eius actiones dependeant. Atque id quidem verum est, Naturam corporis humani, quicquid agit, illud ope partium fluidarum & solidarum, earumque motu perficere, sed quoniam partes illæ saltim instrumenti vices gerunt, non commode mechanismus solus Natura dicitur. Desideratur enim hic semper aliquod principium, quod stupendæ illius machinæ, ex multis organis compositæ, motus & operationes intendat, continuet & ad finem suum dirigat, quale, si recesserimus ab anima & æthere, comminisci arduum videtur.

## V.

Cum vero hæc res magis physicæ considerationis sit, ideo brevitati studens, ad salutarem illam Naturæ in corporibus nostris operationem, qua sanitatem integram tuetur, potius transeo, visurus quomodo, quibusve auxiliis id ipsum perficiat. Quod dum, felicem cœpti eventum a Deo omnipotente comprecatus, facere ingredior, ex physiologicis repetere licebit, formalem sanitatis rationem in potentia agendi, ex partium corporis nostri iusta dispositione fluente, consistere, illumque demum recte sanum dicendum esse, secundum illustrem WEDELIVM, Præceptorem meum omni observantiæ cultu ætatem devenerandum, in Theorematis. Med. p. 1, Sect. 2, qui quando vult & debet, firmiter & constanter, absque impedimento, & inculpate actiones s. n. præstare potest. Est igitur sanitas effectus & consecrarium integritatis partium nostri

nostri

nostri corporis, per quas anima, nullis passionibus, seu ut alii loqui malunt, affectionibus turbata, tanquam per machinas bene preparatas, eas actiones edit, ex quibus animal sanum aestimatur.

## VI.

**V**T autem in cœpto opere eo felicius provehar, paulo intimius interiora corporis nostri rimari animus est: ubi ingentem divinorum miraculorum cumulum invenio, illudque esse compagem, stupendo artificio, a summo Numine ex variis & diversissimis partibus fluidis & solidis, fibris, membranis, musculis, tubulis, ductibus, vasis, cartilaginibus, ossibus, aliisque, decente ordine, proportione & nexu concinnatam deprehendo, ut pars parti, singulæ toti inserviant, fluidæ respondeant solidis, easque in motum cieant, solidæ autem fluidas commode suis alveis non vehant solum regantque, sed motu insuper elastico s. tonico in destinata loca urgeant. Conspirant hunc in finem viscera omnia, varie quamvis a se invicem distantia, quibus tota œconomia animalis absolvitur, & mirifica illa vasorum nervorumque distributione connectuntur. Ita cum ex corde maximæ arteriæ canalis, conus in modum efformatus, surgit, & in sublime versusque inferiora tendens, in duos grandiores ramos dividitur, mox in vix numerabiles canales atque ramulos secatur, per quos vitale fluidum ad omnes corporis partes distribuitur, & in extremum reticulum usque spargitur, donec ab extremitatibus partium ad fontem suum properans, per vasa, inversa figura, longeque alio habitu prædita, & prope cor in unum

amplum canalem coeuntia, revertatur. A cerebro vero, ejusdemque potissimum basi & medullari, per sacram fistulam ad os coccygis, extensa substantia quamplurima filamenta procedunt, quæ in varia nervorum paria congesta, omnibus visceribus, sensuumq; & motuum organis implantantur, ibidemque modo in fibrillulas extenuantur, modo in capitula & papillulas explicantur. Viscera præterea quælibet propriis ductibus & canalibus, operationibus suis dicatis, instructa sunt, quibus singula toti velificantur, cuncta vero per communia ista vincula sibi invicem copulantur, mutuamque connexionem pariter, ac consensum atque passiones acquirunt.

## VII.

**E**X his amplius obscurum esse non potest, quomodo cor cerebro, cerebrum cordi, utrumque aliis visceribus consentiant; cui partium concentui, si alia quoque organa, elaborandis & distribuendis alimentis servientia, una cum illis, quæ excretioni superfluum dicantur, junxerimus, tunc patebit, quomodo & quare purpureus ille latex, quem sanguinem vocant, tam operose per universum corpus circuletur, & per validam systolen ex corde expulsus, hinc per arteriarum micantium contractionem, propriique elateris nisum, ulterius incitatus & promotus, trans innumeras illas vasorum distributiones & ramificationes, omnibus partibus remotis & vicinis, internis externisque impertiatur. Eum in finem, ut generalius omnibus solidis substantiis nutrimentum & calorem vitalem, hinc singulis visceribus suum peculiarem & mechanismo

nismo

nismo eorum convenientem succum largiatur; & postquam in cerebro spiritus animales, in glandulis oculorum lacrymas & lemas, in naribus mucum, in auribus cerumen, in ore salivam, in ventriculo, intestinis & pancreate consimilem aqueo salinam portionem, in hepate bilem, in renibus urinam, in testibus semen, in mammis lac, in glandulis denique subcutaneis sudoris & transpirationis insensibilis materiam deposuit, reflexo venarum ductu, durante illa humorum, a tonica vasorum, iisque conjunctarum partium contractione, dependente pressione, cor versus, ad magnum illum oceanum, a quo omnes corporis nostri rivuli scaturiunt, & se rursus in illum exonerant, reducatur.

## VIII.

**N**Equae tam mirabilem partium universi corporis concentum nostrum Hippocratem fugisse, ex libr. de Aliment. constat, in quo manifesta haec leguntur verba: *confluxus unus, conspiratio una, consentientia omnia.* Imo nec eundem sanguinis in orben itum reditumque, quem, tenebris absconditum, immortalis sua laude restauravit Harveus, latuisse, alius citati libri locus docet: *Alimentum in pilos, ungues, extimamque superficiem ab internis partibus pervenit: rursusque ab extremis partibus extimamque superficie ad internas redit.* Ejusdem tenoris alius textus eodem in libro extat: *Principium magnum ad extremam partem pervenit, ex parte extrema ad magnum principium redit.*

## IX.

**I**N hoc igitur vitali humorum circuitu mirabile illud Naturæ artificium consistit, quo tota corporis moles, per multos annos, sine omni corruptione salva permanet duratque, quam durationem Medici vitam appellant: quia tam diu vita illibata perstat, quam diu massa humorum æquabili & vivaci fluxu per canalium alveos decurrit, & redundantium noxiorumque secretio atque excretio, deficientium vero & absumptorum contingit appositio. Qua in re multum Naturæ interest, ut partes, imprimis fluidæ, in statu naturali, legitima suarum particularum temperie & crasi, quantitateque ac motu duplici, progrediente locali atque intestino, in continua minimarum partium commotione & fermentatione digestiva consistente, conserventur. Sunt enim fluidæ solidarum stamina & prima quasi fundamenta, a quibus omnem illæ, quem possident, vigorem, sanitatem & vitam mutuuntur, secundum tritum illud: *Qualis sanguis, talis sanitas, tales vires.*

## X.

**I**N primis autem hic solenne illud, superius quæ memoratum secretionis animalis opus in subsidium vocari meretur, qua fluidum a fluido, in motu intestino & progrediente seu locali constituto, segregatur. Scilicet cum, uti antea dictum est, sanguis per impulsum cordis, & tonicum arteriarum motum, ad omnes partes corporis diffunditur, fit, ut in itinere trans tot viscera colandus, in singulis peculiarem, & uniuscuiusque organicæ texturæ respondentem alterationem, quam, olim coctionem appellatam, hodie fermentalem immutationem vocant,

sub-



subeat, totque a se invicem discrepantes liquores largiantur, quorum quidam, absolute ad vitam & sanitatem tuendam necessarii existentes, haud temere excerni volunt; quidam vero ex parte, alii omnimodam sui excretionem præstolantur. Haud absimili fere ritu corporis nutritio celebratur, qua illa, quam perpetua insensibilium vaporum exhalatione quotidie facimus, virium jactura, cum fœnore restituitur: quando scilicet meliores alimenti partes, nondum per diurnam circumrotationem cruoris purpura intime infectæ, a chyli tamen cruditate perpurgatæ, nutriendisque partibus appositæ & agglutinatæ, illis penitus immerguntur & assimilantur.

## X I.

**Q**uibus artificiosissimis operationibus sanguinis status balsamicus, maxime a Medicis semper æstimatus, perennare solet: quippe qui nulla alia ratione melius conservari potest, quam tempeſtiva & indefinente particularum fatiscentium & superfluarum secretionem & excretionem, nec non aliarum deficientium necessariarumque nova additione, æquabilique motu & perenni circulatione. Ita enim sanguis a moleſto particularum nocivarum onere mature liberatur: quod nisi fieret, incommoda plura, morbi, ipsaque denique mors presso pede sequerentur: deinde in decente crassi, & vigore, ad actiones vitales legitime obeundas, quam maxime necessario, conservatur: ac denique putredo, in quam alias, cum stagnare cœpit, admodum proclivis est, antevertitur.

## X I I.

**I**N eo igitur Natura boni Medici officio fungitur, quo ipse sedulo cavet, ne humores corporis nostri ullibi  
C
vitium.

vitium capiant, & si qua vitii sunt, vel mole sua molesti evadunt, gnaviter allaborat, ut, quantum eius fieri potest, corrigantur & mature expellantur. Idem hic Natura facit, humores vitali suo balsamo condiendo, cunctaque, quæ ullo modo, si in corpore restitarent, nocere possunt, in tempore eliminando, idque circulatione, illoque salutari secretionis munere præstat, quo varii insuper ad oeconomiam animale summe necessarii humores colliguntur, aliique, causas morborum constituturi, proscribuntur, & sic intestinis ac domesticis morborum causis, earumque proventui ac efficaciam resistitur.

## XIII.

**T**anta est secretionis animalis dignitas, ut spirituum animalium elaboratio in cerebro sensum & motum corpori præstet, quibus a cadavere discernitur; liquoris autem salivalis in glandulis oris atque faucium, menstruique in ventriculo, intestinis & pancreate, itemque earum illarum biliosarum particularum secretio & commixtio, chyli elaborationem & segregationem juvet, ut eo deinde sanguis reficiatur; quæ in renibus hinc secessus massam sanguineam a particulis eius liberet; auræ vero illius genitalis in testibus, ad sololis procreationem & materni ovuli foecundationem inserviat, & lactis denique in mammis elaboratio, in lucem nuper nato pusillo, unde alatur, prospiciat; aliæ vero secretiones vel mucosum quid, vel serosæ substantiæ portionem subtrahant, & singulæ totius incolumitatem respiciant.

## XIV.

**H**uc quoque pertinet solennis illa in sexu sequiori sanguinis per muliebria singulo mense excretio, qua  
Natura

Natura bonam sanguinis quantitatem ad uterum, pro alendo in statu graviditatis embryone, copiosius congestam, extra illud tempus, statis periodis, ex parte excludit. Namque cum summum Numen homini nullos certos conceptionis terminos, quos in brutis animantibus observare licet, præscripserit, sed foeminam, viri patientem, quovis tempore ad concipiendum aptam esse voluerit, ea semper nutrientis succi cum sanguine quantitas ad uterum amandari debebat, quanta alendo & augendo foetui sufficit. Cum autem non semper foemina uterum gerat & gravida sit, multæque extra coniugium degant, illa ipsa sanguinis pars, dum onerosa utero esse incipit, successive excernitur, idque singulo fere mense contingit, & a prima adolescentia ad ineuntem usque senectutem continuatur, tanta cum *εὐφορέϊα*, ut quamprimum in non gravidis & non lactantibus (exceptis illis, quibus ob peculiarem sui constitutionem nunquam fluxerunt menses) deficit, vel alio modo exorbitat, statim inde foeminarum sanitas male afficiatur.

## XV.

ET quid, quæso, Natura aliter molitur in sexu potiori, iuvenibus nimirum, & nondum matrimonio iunctis, quando in salacioribus, & magnam feminis quantitatem in vesiculis seminalibus alentibus, spontaneas liquoris genitalis exeretiones, nocturnas inprimis, per pollutiones instituit, quam ut menstruam illam, in sexu elegantiori, sanguinis abundantis emissionem, hoc ipso in viris æmuletur, & redundantem genituram interdum excludat, ne, ibidem stagnans, vitiosas qualitates contrahat, aliove modo noceat.

## XVI.

**Q**uanto quoque cum levamine, quantaque *εὐφορία*  
 sanguis in utroque sexu, viris & fœminis, quorum  
 corpora vel plethora obruuntur, vel cacochymia vitian-  
 tur, per hæmorrhoides fluat, satis inter omnes constat,  
 ipsaque ratione & experientia, scriptorumque probatis-  
 simorum autoritate comprobari potest. Ita enim Hip-  
 pocrates, lib. de Humor. c. 1, § II, & seq. p. 326, edit.  
 Lind. scribit: *Qui hæmorrhoides habent, neque pleuritide,  
 neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furuncu-  
 lis, neque tuberculis, terebinthi figuram habentibus, corri-  
 piuntur. Fortassis autem neque lepris, fortassis neque viti-  
 liginibus. Multi tamen, intempestive curati, non tarde ta-  
 libus correpti sunt. Sic idem hæmorrhoides, melancholicis  
 & nephriticis supervenientes, bonas esse affirmat, S. VI, aphor.  
 XI, & sequente aphorismo præcipit, ne hæmorrhoides diu-  
 turna sistantur, quoniam inde hydrops vel tabes metuenda  
 sit.* Post Coem, Celsus de salubritate huius fluxus libr.  
 VI, de Medicina, ita scribit: *Tertium ani vitium sunt ora  
 venarum, tanquam capitulis quibusdam turgentia, quæ san-  
 guinem fundunt, ἀποπόιδας greci vocant. Atque in  
 quibusdam parum tuto supprimitur, qui sanguinis profluvio  
 imbecilliores non sunt: habent enim purgationem banc, non  
 morbum.* Natura certe in illis, quibus legitime fluunt  
 hæmorrhoides, harum beneficio sanguinis abundantiam  
 non solum, ceu fœcundam multorum morborum ma-  
 trem, loco conueniente successive, & sine omni virium  
 iactura demit, sed eiusdem simul impuritates, nullibi fere  
 commodius, quam hic locorum eiicit, & hoc gemino  
 usu

usu corpus a multis periculosis ac tædiolis morbis custodit atque liberat.

## XVII.

**M**uci e naribus excretionem forsã quis haud satis dignam, quæ huc referatur, judicaverit, cum tamen serio attendi mereatur; quandoquidem a Natura, inculpate suo munere fungente, bonam ejus partem ex cerebri glandulis & ventriculis anterioribus secerni, indeque per processus mammillares in narium cavitatem deduci, horum ductuum situs, constitutio & alia probare videntur. Prodeunt enim illi ex anterioribus cerebri ventriculis, & teste Willisio, Anatom. cerebr. cap. XXI, atque avtopsia, manifesta cavitate, qua humorem aquosum vehunt, præditi sunt. Ut proinde cum laudato Autore opinari liceat, *non tantum in humectandas nares laticem sufficientem hac via transsudare; verum etiam, si quando serosa colluvies in cerebri ventriculis congeritur, non raro superfuitates ejus, sive humorem excrementitium, fibrarum ductu os cribrosum erajicere & foras amandari.* Quæ latius in dissertatione inaugurali D. Horstii, nuper admodum elapso vere sub D. Præsidis moderamine, de *Processibus mammillaribus, e numero nervorum olfactoriorum exemptis*, explicata legi possunt, in qua illis hoc primario munus adsignatur, *ut in statu naturali superfluam quidem, sed benignam tamen atque utilem humiditatem efferant, que in prat. nat. vitiosa reddita, mole pariter ac acredine sua dolores capitis, vertiginem, apoplexiam, motus convulsivos, hydrocephalum aliaque mala, & mortem ipsam inferre possent.* Multum quoque humoris excrementitii e glandulis & ductibus in narium cavitatem hiantibus, excernitur, ut massa sanguinea a sero

C 3

len.

lentescente & excrementitio liberetur, ac cerebri temperies naturalis defendatur.

## XVIII.

**M**Ajori nisu Natura id molitur in iis, qui catarrhosis defluxionibus obnoxii sunt, ipsaque coryza frequentius tentantur, qua totum corpus & speciatim caput magno onere levatur. Videas tales coryzas in nonnullis in anno bis terve repetere, cum insigni eorum levamine, ut sibi de periculoso morbo metuant, quando tardius revertuntur, vel plane emanere videntur. Novi juvenem viginti annorum, qui sedulus bonarum artium cultor, habitus corporis robustioris, temperamenti serosioris, statim a pueritia, singulo fere menstruo spatio, luna jam existente plena, vel brevi futura, nullo prævio in diæta errore, coryzam passus est cum insigni *ευφορία*. Quo exemplo Naturæ solertis in conservanda sanitate studium ad oculum patet; quandoquidem laudatus juvenis, ob constitutionem phlegmaticam, s. abundantiam serosæ colluviei, vitamque, quam exercet, sedentariam, ad accumulandos humores excrementitios aptissimam, firmam sanitatem nunquam sibi polliceri posset, nisi Natura, motu quodam critico menstruo, magnam inutilium humorum saburram per nares excluderet.

## XIX.

**Q**uantum utilitatis Natura per transpirationem insensibilem, perenni fluxu per totam corporis peripheriam celebratam, corpori largiatur, ex damnis, ejus interceptionem comitantibus, apparet. Sedulus hujus excretionis scrutator fuit Sanctorius, quem intra unius diei naturalis spatium, plus quam quindecim diebus, per reliqua excretoria

toria

SAN ITATIS CONSERVATRICE

toria emitti asserentem, nil a veritate alienum dixisse, illi concedent, quibus innotuit, Italos & Hispanos, frugaliter levissimæ coctionis cibis utentes, vix decimo vel 12 die alvum semel deponere, raro quoque mingere, & liberaliter contra ea per cutem humidum effundere. Quanti porro præstantiam insensibilium particularum exhalationis modo laudatus Sanctorius æstimaverit, patet ex Med. Stat. s. 1, aph. 120, ubi *nil magis, inquit, prutredinem tollit, quam larga ventilatio, non solum per inspiratum, sed etiam per meatus insensibiles facta.* De necessitate perpetui illius totius corporis effluvii ita celeb. Bergerus, de nat. human. p. 181, scribit: *Quod nisi fiat, retentæ sordes illæ, atque collectæ in vasis implent ea, sanguinemque fœdant & inquinant, ac vires inimicas nocentesque consequuntur, vel in ductibus impactæ, viam humoribus intercludunt, quæ claustra cum sanguis percurrere non potest, in itu suo redituque impeditus, sistitur facile, & corpori ac valetudini vim infert.*

XX.

**T**Ranspirationis hujus productum sudor est, qui nil, nisi auctam tenuissimorum vaporum exhalationem, eorundemque in cute in copiosas guttas collectionem denotat. Quodsi enim massa sanguinea placido æquabili-que motu per canalium alveolos iter facit, insensibilis molecularum fit exhalatio; ubi vero evenit, ut in citatiorem & liberio-rem motum abripiatur, major necessario minimorum corporum divisio & segregatio suboritur, hinc turmatim erumpentes vapores, in extima corporis parte in guttulas coacti, sudorem constituunt. Hocce subsidio sæpissime ad movendam serosam colluviem Natura utitur, tanquam aptissimo medio, quo multos imminentes morbos

morbos

morbos avertit, ac commissos in diæta, circa cibum & potum, excessus corrigit atque emendat.

## XXI.

**E**rrōres & excessus diætæ ubique frequentissimi existunt: ut non mirandum sit, quare omnis ætas morborum adeo fœcunda, & vita hominibus multo brevior, quam quibusdam brutis concedatur: cum ob intemperantiam vorandi, potandique insatiabilem libidinem, infinita morborum semina per corpus dispergantur, quæ tandem in diversæ speciei morbos varie erumpunt. Infantes, vix in lucem editi, tanta pultis lactisque copia subinde infarciuntur, quanta eorum corpuscula tenella vix ferre ac digerere possunt: hinc statim suis morbis laceffuntur. Provectior ætas repletioni, cui a prima infantia assuevit, magis dedita, non paucioribus defatigatur morbis, mature que sibi ipsi vitæ filum abrumpit. Certe plurimæ infirmitates e nimia repletionem oriuntur, quorum etiam non minima pars ex insufficiente assumptorum coctione & digestionem deducenda est. A priori vitio vasa ultra modum distenduntur, & plethora generatur; a secundo vero cacochymia, & plurimæ in sanguine impuritates succrescunt, quibus egregie medetur Natura, dum citatori humorum motu, attritis divisisque particulis grossioribus, criticum sudorem excitat, & ita nocituram & abundantem humorum colluviem expellit. Obvia enim sunt nec rara exempla eorum, qui sæpius, & imprimis, quando largiori in cibo & potu diætæ usi sunt, copiosos sudores experiuntur, quibus eorum sanitas recte defenditur.

## XXII.



## XXII.

**E**Adem per breviorē saepe viam luxuriantis gulæ vitiis per vomitus salubriter occurrit, & in cruditates abeuntia assumpta subito expellit, ut inde nascituras noxas averruncet. Quodsi verò firmior ventriculi tonus in motus talismodi excitari nequit, sed semi cruda semique cocta in adnexa intestina trudit, tunc per diarrhœas Natura errores emendare gestit, quibus materia morbifica, a laesa ventriculi coctione, in intestinis hærens, aucto motu peristaltico, per repetitas vices eliminatur. Testatur hoc quotidianus rerum usus, veterum modernorumque scriptis approbatus. Ex pluribus Celsi meminisse juvabit, qui libr. 4 Cap. XIX, *Uno, inquit, die fluere album, saepe pro valetudine est, dum febris absit, & intra septimum id conquiescat.* Quare sedulo sibi caveat Medicus, ne salutare ejusmodi Naturæ excretiones, quibus quisquillas intestinales, antequam massam sanguineam cum chylo intrant, ibidemque varios tumultus exsuscitant, improvide turbet vel compeſcat.

## XXIII.

**Q**Væ in superioribus de hæmorrhoidibus adduximus, de aliis quoque, ex variis locis, & præcipue ex naribus subortis sanguinis excretionibus, intelligendum venit. Solet enim Natura in iis, qui lautis epulis & otio plethoram sibi contrahunt, satis opportune largas modicasque, pro re nata, sanguinis profusiones excitare, quando scilicet ipsi vel tanta sanguinis quantitas oneri esse cœpit, ut inde

D

VIRGS

vires opprimantur, dolores gravantes, torpores totius & artuum lassitudines oriantur; vel humorum acrimonia motus localis organa laceffit, ut ad expressionem molesti hospitis per vias veteres & novas insurgant. Imprimis autem ad insolita loca in iis itur, quibus solennis quædam & per multos annos consueta evacuatio, sive per menses in sequiori, sive per hæmorrhoides in viris & utroque sexu ea contigerit, negata fuerit. Hinc sanguinem aliquando per oculos, aures, nares, os, mammas, ungues, vias □narias, sine omni noxa, & potius cum levamento profiliisse legimus, De quibus Celsus, l. c. c. 4, more suo, scite differit: *Non ignorare, inquit, oportet, eis, quibus fluere sanguis solet, aut quibus spina dolet, coxæve, aut post cursum vehementem, vel ambulationem, dum febris absit, non esse inutile sanguinis mediocre profluvium: idque per urinam redditum, ipsam quoque lassitudinem solvere.*

## XXIV.

**EX** quibus, aliisque hæctenus, hunc in finem memoratis, latere amplius non potest, quanta Naturæ in conservanda & tuenda sanitate sit energia & solertia: dum scilicet fragilem corporis compagem, partesque ejus solidas & fluidas, ex variis heterogeneis partibus conflatas, hinc multis alterationibus, subitæque corruptioni obnoxias, ab omni labe diu sæpe prorsus immunem reddit, iisque omnibus, quæ, in tanto rerum concursu, in morborum causas aliquando abitura sunt, mature occurrit. Quod ipsum perenni motu, prosthese & aphæresi ex voto præstat, dum

dum

dum toti machinæ, vitali illo humorum circuitu, indeque dependente particularum fatifcentium ac redundantium secretionem & excretionem, deficientium vero & absumptarum sufficienti additione salutariter prospicit. Hisce omnium actionibus massa sanguinea in naturali crasi, partes vero solidæ in robore organico persistunt, ac totius corporis integritas, cum animi vigore, illibata manet, hominisque sanitas solerter conservatur.

## TANTVM.

---

**N**on minor est virtus, quam quæ-  
rere, parva tueri;  
Haut perdas, quod habes, sed re-  
verenter habe.  
Aufferre hic mavult, aliis apponere  
præstat;  
Naturæ Tecum cedit vtrumque  
bene!

*Nobilissimo Dn. Doctorando priscum fe-  
liciter ex animo acclamat*

GEORGIUS WOLFFGANGVS WEDE-  
LIUS D. h. t. Pro-Rector.

Quas habeat vires rerum natura  
 creatrix,  
 Fuse pertractas, nec sine laude  
 doces.

Laudo tuum factum, sint præmia  
 justa laborum,  
 Apprecor, atque Tuis gaudia  
 mille parent.

*Nobiliss. & clariss. Dn. Doctorando  
 gratulab. hac scribebat*

IO. HADRIANVS  
 SLEVOGTIYS, D.

